ctæ inſpectio, rei nomen ſuggerens, quomodo Picturæ titulus legendus ſit, monebit. Tranſitoque ſic Libro toto, per ſolos *Picturarum titulos*, Lectio non addiſci non poterit: & quidem, quod notandum, *nulla adhibita vulgari prolixa Syllabizatione, permoleſta illa ingeniorum tortura*, quæ hac methodo declinari poterit tota. Iterata enim Libelli lectio, per ipſas pleniores & Picturis ſubjectas rerum Deſcriptiones, habitum legendi penitus abſolvere poterit.

II. Serviet idem Liber, *vernaculis in Scholis vernacule tractatus, ediſcendæ Linguæ, Vernaculæ Germanicæ (nec minus Italicæ, Gallicæ) toti & a fundamento:* quoniam, per prædictas Rerum deſcriptiones, Linguæ totius Voces & Phraſes, ſuis apte locis digeſtæ, reperiuntur.

Cæterum, quia *prima diſcentium penſa parca & ſimplicia eſſe oportet*, primum hunc Tirocinii autoptici Libellum non niſi rudimentis implevimus, Rerum ſcilicet & verborum Cardinibus, ceu totius Linguæ, totiusque noſtri circa Res Intellectus, baſibus. Perfectior rerum deſcriptio & plenior Linguæ cognitio, Mentisque lumen ſplendidius, ſi quæruntur, (ut debent) reperiuntur alibi, quo

jam